





1. Bauer s. Chr. frid. Diss. de gratiosa Spiritus.
3. disciplina exitiose contenta Wittenb. 1742.
2. Baumgarten s. Sigism. Jac. Diss. de ultima
coena Christi paschali Halle 1742.
3. ——— Diss. de conversione non instantanea,
Halle 1743.
4. Bebelij s. Balth. Diss. de primogenitura
ex mortuis redivi Domini Jesu Christi
francof. 1743.
5. Benner s. Joh. Herm. Zinzendorf s. pr. Catechis.
mus 2^{te} A. G. Halle 1749.
6. Boerner s. Mr. frid. Diss. de Andronico
et junia in Epist. ad Rom. XVI.
v. 7. Lipsie 1742.
7. Clauswitz s. Bened. Gottl. Diss. nova
de fide in Jesum Christum
Halle 1743.

- 8 Hebenstreit J. Joh. Chr. / diff. in Isaj. VIII
v: 14. Lipsie 1743.
- 9 Luterich J. Mart. / diff. de Natura et Juvole
theologie revelate, Francof. 1742.
- 10 Academiæ fruericiandæ programma
in festum Natalitiæ Christi, 1741.
Hald.
- 11 _____ in festum Nata.
litiæ Christi 1743. Hald.
- 12 Georgij J. Chr. Sigism. / diff. de
corruptione Canonis sacri impossibilitate
diff. Wittenb. 1742.
- 13 _____ diff. de primatu Petri facti,
Wittenb. 1743.
- 14 Haffen J. Martini / diff. de parentum
supremis votis, Wittenb. 1742.
- 15 Heumanni J. Christoph. Aug. / diff. de
illuminatione Sauli, circa
pietate ferventissimi. Jona, 1741.
- 16 Hofmann J. Car. Gottl. / diff. de
negata Medicorum resurrectione
Wittenb. 1742.
- 17 Itzig J. Thomæ / diff. de Baptismo
fidelium ante Christi adventum de
functorum per aquam, quæ ex
ejus latere profluxit. Francof. 1743.
- 18 _____ programma Academiæ Lipsiensis
in festum pentecostes 1743.

19. Micheli / Jan. / Diff. III. de fide hereticis
servanda, Tubingae 1740.
20. Nonnen / Nicolai / Diff. de Zippor et
deror Symbolis profelytorum sub
Iofaphati Regno converforum, Brema
1741.
21. Olearij / Gothofr. / Diff. de redem-
tione ex inferno, Jene 1792.
22. Pfaffij / Christoph. Matth. / Diff.
de non adpropinquando Carnem
Carnis, et de Divortio Tubingae
1742.
23. Benedictione et lege Divina,
crescite et multiplicamini,
Tubingae 1742.
24. Solbrigij / Sav. / Diff. de harmonia
Evangelistarum Lipsiae 1716
25. Speiser / Christoph. Nicol. / Diff.
an mortuorum anime fiant
num relictis in his terris bene
vel male sit. Lipsiae 1742.
26. Tilemann gonand / Jone / s. Joh. /
Diff. de Altellis Sacris et profa,
his, Marburgi 1793

27. Weiß J. S. V. J. Diff. de itinere et Civitate
patris Romani divi petri, Lipsiæ 1793.
28. Leibniz Car. Henr. J. Diff. de mysterio
Carnis Affe in nocte paschalis
prima edenda. Wittemb. 1792.
29. ——— Diff. de sepultura in terra
sancta à Jacobo et Josepho patriarchis
his moribundis expectata, Wittemb.
1792.





כ"ט
עמנו אל מקדש
IMMANVEL ASYLVM
SIVE
BREVIS COMMENTATIO
IN IES. CAP. VIII. comma 14.

AD
VIRVM
CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM
ADOLPHVM Sebrect Dietrich

DVBENSEM,
THEOLOGIAE CANDIDATVM,
SVMNIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

D. XXX. APRIL. CIO IOCCXLIII.

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
ORNATVM,

EX VOLVNTATE
COLLEGII ΦΙΛΟΣΟΦΟΥΝΤΩΝ

SVB PRAESIDIO

D. IOHANNIS CHRISTIANI HEBENSTREIT
LINGVARVM ORIENT. P. P. O. ET THEOLOGIAE
EXTRAORDINARII
CONGREGATI

AVCTORE
M. IOHANNE CHRISTIANO Rühn
MARTISVBERGENSI.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



IMMANUEL ASYLUM

BREVIS COMMENTATIO
IN RES QVAE...

ADOLPHUM

IN PHILOSOPHIA...

IN ACADEMIA...

D. JOHANNES CHEL...

M. JOHANNES...

EX OFFICINA...





VIR CLARISSIME ATQVE DOCTISSIME,
AMICORVM SVA VISSIME.

Quanta cum animi delectatione laetissimum de nouo felicitatis Tuae incremento nuntium acceperim, non dubito, quin mei ad Te scripserint. Non quidem solum et ego, qui Te semper in deliciis habeo, et omnes illi, qui Tibi maxime cupiunt, semper optima quaeuis Tibi apprecamur, et si quid horum Tibi contigerit, in sinu gaudemus: sed hoc inprimis tempore vehementissime laetamur, quo ab alma Leucorea summis in Philosophia honoribus insigniter ornatum Te conspicimus. Iustum enim est et aequum, imo etiam necessarium, gaudere immortaliter, vehementerque laetari de illis, quorum cum ex ingenio, singulari studio, tum ex virtute voluptatem capimus, et cum quibus viuimus familiarissime et amicissime. Talem igitur dum Te praestas, qualem omnes boni desiderant, nonne iniustum me esse existimares, si hanc laudem, quam Tibi nullus derogat, silentio plane praeterire vellem? Vtinam autem tanta mihi esset dicendi scribendique facultas, quam quidem exiguam esse sentio, ut gratam memoriam nostrae familiaritatis, qua mihi nihil vnquam esse potest iucundius, Tibi iam significare possem! Spatium enim illorum annorum amoenissimum laeta recordor mente, quo mecum viuere suesti coniunctissime, et quo sic te semper dilexi, ut nullo cum homine coniunctius uiuerem. Quanta et animi voluptate et tranquillitate omne fere tempus Tecum consumsi, quem studiis

A 2 littera-

IV

literarum, doctrinaeque, quibus ego maxime delector, praeditum esse cognoui? Quanta cum cura Te, Virum optimum, bene institutum, satisque exercitatum, conuenire laboravi, qui me nunquam, nisi doctiorem, redire fuisti? De his igitur toto animo cogitans, ingratiſſimum me fore credo, nisi mirificas Tibi agerem gratias, quod amicitia Tua dignum me Tibi adiungere volueris. Et si quoque haec Tua in me voluntas Te ad diligendum me non excitasset, singularis tamen Tua virtus, qua nostrum nullus Tibi antefertur, pauci pares putantur, stimulum certe mihi admouisset ad Te semper sic amandum et colendum, ut quem diligentissime, cum, ut ait CICERO, nihil amabilius sit virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum, et quod illi digni sint amicitia, quibus in ipsis inſit, cur diligentur. Quare et illi, quibus olim Lipsiae familiarissime vsus es, magnopere adhuc delectantur, quod tantam in Te humanitatem, probitatem, et benevolentiam erga se cognouerunt, ut amicum neminem iam pluris faciant. Et, ne eorum amor, studiumque erga Te sit obscurum, quem propter familiaritatem et consuetudinis suauitatem inuicissimi nuper a se dimiserunt: in perpetuam amicitiae eorum recordationem, laetitiaeque publicum testimonium, de honoribus summis in Philosophia impetratis, munusculum hoc leuidense, me quidem interprete, Tibi mittere constituerunt. Ut itaque istud, si quid in Te adhuc residet amoris erga me, benigne excipere velis, mirum in modum abs Te peto. Deus autem Optimus Maximus, nouum hoc felicitatis Tuae genus, quod illustre et virtutis et doctrinae Tuae praemium est, et de quo Tibi gratulor, vereque gratulor, felix faustumque nunc esse iubeat! Summae Tuae probitati, singularique modestiae maiora in posterum addere velit ornamenta; saluum Te praestet ac incolumem, et Te in medio adhuc studiorum Tuorum stadio currentem praestantissimo suo auxilio ita adiuuet, ut aliquando nominis sui gloriam, salutem Ecclesiae, et Tuorum prosperitatem, ex voto promouere queas! Caeterum fac, ut me ames, et, si me diligis, eo numero, quo me, ut amicos habeas, cura. Vale, mihi que faue.

I. N. I.

Quo iure olim D. PETRVS de Epistolis Paulinis, quarum crebram lectionem illis Ecclesiis, ad quas litteras suas dedit, omni studio inculcare et commendare sollicitus est, affirmare non dubitat in Epist. II. C. III. 16: esse in illis *δυσνόητά τιναι, αὐτοὶ ἀμαθεῖς, καὶ ἀσήρικτοι σφραβέσσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφαῖς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπάλειαν*: eadem ratione de caeteris fere omnibus virorum Θεοπνεύτων scriptis, quae videmus sacro codici inserta esse, id nobis dicere licet. Non quidem praefens instituti nostri ratio nobis permittit, vt tam amplum campum festinante pede percurramus, omniaque et singula *δυσνόητα*, quibus vnumquemque vtriusque foederis librum refertum esse scimus, prolixius exponamus, et expendamus curatius. Herculeos quasi labores moliremur, quos humeri ferre omnino recusant, eorumque vestigia premere videremur, qui Isthmum perfodere frustra quidem meditantur. Nosse nobis sufficit, praestantissimos et celeberrimos omnis fere aetatis viros in enucleandis *δυσνόητοις* Scripturae sacrae, eorumque nodis Gordiis soluendis omnem operam, omneque studium, impendisse, hinc indefesso nostro labore fortassis eorum tibias inflaremus, et post Homerum canere mliadis. Vel sexcenti sacrarum litterarum interpretes exemplo nobis esse possunt, qui quidem in explicando sacro codice nil noui se inuenisse iactitant, difficiliora tamen loca, quae alii sicco pede, aut *ὡς ἐν παρόδῳ* attigerunt, maiori cura atque attentione adeunt, easque res, quas caeteri primis quasi lineis adumbrant, acu tangunt, et diligentiori dignas censent contemplatione, vt adeo industriam eorum laudandam magis, quam reprehendendam esse arbitremur. Horum itaque vestigia hac in ipsa tractatione sub auspicio Sanctissimi Spiritus strenue sequimur, non quidem vanae cuiusdam laudis cupidi, sed ea tantum contenti forte, si nostra occupatio et pietate et modestia ornatis rerum sacrarum cultoribus haud displiceat. Incidimus autem *ἐν τῷ ἐρευνοῦν τὰς ἱερὰς γραφαῖς* in locum aliquem nostro iudicio fati difficilem, qui legitur IES. VIII. 14. et cuius in sensu eruendo sua ingenia fati exercuisse legimus interpretes; hinc operae pretium erit, vt, varia textus interpretatione praemissa, et diuersis exinde ortis virorum doctissimorum sententiis, paucis tamen, commemoratis, tandem nostram, qualemcunque, expositionem adiungamus. Faxit Deus omnia feliciter!

TEXTVS AVTHENT:

וְהָיָה לְמִקְרָשׁ

TARGVM IONATH:

וְאִם לֹא תִקְבְּלוּן וְיָהִי מִיְמֵרִיחַ בְּכוֹן לְפִוּרְעָן :

LXX. INTERPRET:

Καὶ ἐπ' αὐτῶν πεποικώς ἦς, ἔσται σοι εἰς ἀργίσσμου.

SYRVS:

וְהָיָה לְמִקְרָשׁ

VVLGATA EX HIERON:

Et erit vobis in Sanctificationem.

SEBAST. SCHMID:

Et erit (vobis) in Sanctuarium.

BIBLIA GERM. VETVSTISSIMA.^a)

Und er wirt euch in ein Heiligkeit.

LVTHERVS:

Und er wird euch eine Heiligung seyn.

IVDAEORVM GERMANICA:

Und er wird seyn zu einem Unbereiten (von Straff)

Varias igitur esse vocis מִקְרָשׁ interpretationes, facili quidem negotio vnicuique ex his, quas modo praemisimus, perspicere licet, quid mirum, si etiam diuersae interpretum et commentatorum sententiae inde enatae sint, qui vel innatae huius vocis significationem neglexerunt, vel in eodem loco interpretando aliorum translationes mere secuti videntur? Lubet tamen vnum alterumque commemorare eorum, qui partim in interpretatione a textu authentico recessere, partim optimum, intentionique Spiritus S. aptissimum literae sensum acutissime tetigerunt. De Rabinorum placitis omnibus ac singulis quo minus prolixè agamus, angusti prohibent tractationis nostrae limites, quosdam tamen in scenam producere nec taedio erit lectoribus, nec ab instituto nostro alienum. IARCHIVS^b) illa verba: וְהָיָה לְמִקְרָשׁ, sequens quodam-

a) Quae Norimbergae 1467 literis putantur impressa, et in selecta Bibliotheca Senatoria Lipsiae asseruantur.

b) in Comment. ad h. l. vbi מִקְרָשׁ דֵּי לְיִצְחָק, quod praeparationem indicat.

quodammodo Chaldaicum, vertit: *Et erit in praeparationem, scilicet vindictae*, idque vult dici de consilio, quod Sebna, et secta eius, capiebat de conspirando cum Assyrio aduersus familiam Dauidicam, ^{c)} vocisque significationem petit ex NVM. XI. 18. vbi Moses loquitur ad populum, esum carnis immoderate expetentem, **לְמַחַר הַתְּקַדְּשׁוּ** sanctificate vos in crastinum, id est, parate vos ad miraculum, quod Deus nobis destinauit. Et profecto, connexionem illius pericopae attentiori mente perlufrantes, illam praeparandi significationem locum inuenire posse, haud difficulter apparet. Sic enim fatur magnus ille diuinae voluntatis nuntius, qui Deum cum populo Israelitico loquentem sequenti ratione sistit: **וְאֵל־הַעַם תֹּאמַר הַתְּקַדְּשׁוּ לְמַחַר וְאִכְלֶתֶם בָּשָׂר כִּי בְכֹתֶם בְּאֶזְנוֹי וְהוּא לְאֹמֶר מִי יֹאכְלֵנוּ בָּשָׂר כִּי־טוֹב לָנוּ בְּמִצְרַיִם: וְכֵן וְהוּא לְכֶם בָּשָׂר וְאִכְלֶתֶם:** certiores reddit summum numen Israelitas, preces eorum tandem exauditas esse, se carnem illis daturum, hocque beneficio nouum fauoris et gratiae suae, idque omni exceptione maius, exhibiturum specimen. Quod vt pia mente, gratoque pectore, e manibus sanctissimi Dei sumerent, qui alio tempore eos alloqueretur: **קְדָשִׁים תְּהִיוּ כִּי קָדוֹשׁ אֱלֹהֵיכֶם** Deutr. XIX. 2. vt officii sui memores essent, Dominique mandata strenue exsequerentur, eos, Mose interprete, Deus iubet: **הַתְּקַדְּשׁוּ לְמַחַר**, praeparate vos, et piam sanctamque mentem sumite, qua crastinum miraculum a benigno numine excipiatis. Rebus ita comparatis, notio quidem praeparationis **פְּרָשׁ מִקְדָּשׁ** competere potest, sed an omnino ad iudicium et vindictam, quam Deus hostibus familiae Dauidicae destinauerit, ex IARCHII mente, id vero est, de quo dubitari possit. Quicquid interim sit, sufficit, IARCHIVM a vulgari sanctificationis sensu recedere, eam que huic loco non conuenire opinari. Nec IONATHAN in Targum

cat, vertit. Ita etiam R. D. KIMCHIVS in radicibus v. קָדַשׁ, et ex illo ABENDANA in Spicilegio ad Ben Melechi Michlal h. l. p. m. 90. b. per **הוּמְנָה** reddi posse ait.

- c) Rem planius exhibet KIMCHIVS in radicibus, sub קָדַשׁ et ex eo ABENDANA, loco modo allegato: Eo tempore conspirasse Sebnam Iudaeum cum nonnullis proceribus contraregiam Dauidis familiam, et de tradenda Regi Assyriorum vrbe consultasse: at Hiskiam cum suis resistendum ei statuisse. Et hoc esse illud קָדַשׁ, quod in ore habuerint Iudaei v. antec. 12. Huic cum sociis Deum per Prophetam Iesaiam polliceri, se velle esse asylum, et arcem munitionis: illis minari, se velle ius esse lapidem illisionis.

VIII

gum^{d)} veram et genuinam vocis מְקַדֵּשׁ notionem indigitat, hanc nimirum addens paraphrasin: וְאִם לֹא תִקְבְּלוּן וַיְהִי מִיְמֵי הַיּוֹם נֶעֱשֶׂה בְכֹחַ לְפָרְעֹן: Neceffe quidem haud putamus horum caeterorumque sententias variis difficultatibus inuolutas euoluere. Cum enim infra ex totius contextus cohaerentia et vocis, et rei optimam significationem definiemus prolixius, tunc, an a partibus eorum nobis stare liceat, videbimus. Iam vero vnam alteramque huius effati interpretationem, quae nobis nondum probari potest, commemorare lubet: Ita enim CASTALIO:^{e)} *is autem, inquit, Messias erit sanctus quidem et salutaris eis, a quibus agnosceatur; sed multi eum non agnoscentes offendent, et per eum sua culpa peribunt.* CLARIUS et FORERIVS^{f)} quando vocem מְקַדֵּשׁ transferunt, huic fauent expositioni: *Et erit vobis in sanctificationem.* Eandem amat quoque B. LVTHERVVS, qui partim in enarratione c. VIII. 14. IES.^{g)} his vtitur verbis: *Et erit vobis in sanctificationem, hoc est, si demum eritis sancti, si Deo credideritis, et eum timueritis: tunc eritis ab omni periculo tuti, sicut dicit: ero inimicus hostibus vestris, item nolite tangere Christos meos, et reliqua;* partim in translatione germanica hoc modo exprimit מְקַדֵּשׁ: *Er wird euch eine Heiligung seyn.* Absit autem, imo longissime a nobis absit, vt tantum meritorum numerum Megalandri nostri, quorum gratam adhuc pia mente recolimus memoriam, diminueri audeamus, laudeque ipsi debita, quam sibi prae caeteris etiam in interpretando sacro codice comparauit, arroganter de nobis sentientes, fraudare cogitemus. Fortassis beatus ille Vir haud satis firmis idoneisque artis Hermeneuticae subsidiis instructus fuit,^{h)} quae nostra aetate nobis ad manus sunt, forsitan Hieronymianam, quae, vbi a fontibus non longe recedit, illi nonnullo in pretio erat, et cum ea LXX. viralem secutus est, quae ἀγιασμοῦ, vel ἀγιασμῶν ex Aldina exhibet, vt LAMBERTVS BOS in lectionibus variantibus ad LXX. viralem, quam prelo subiiciendam curauit, satis obseruat. Interim eadem cum interpretatione consentiunt

BREN-

d) BRIAN. WALTON. in Bibl. Polygl. T. III. ad h. l.

e) conf. Crit. Angl. T. III. p. 4737.

f) conf. Bibl. Paris. Polygl. T. V. ad h. l.

g) T. III. Ienens. p. m. 314.

h) conf. BALTH. RAITHII vindiciae versionis S. Bibl. Germ. b. Lutheri, Tubing. 1656. 4. et MICH. BERINGER in der Rettung der Bibels-Dolmetschung D. Luthers, Tubing. 1613. 4.

BRENTIVS, LVCAS OSIANDER, IOH. OECOLAMPADIUS, ⁱ⁾
 WOLFFG. MVSGVLVS, ¹⁾ cuius verba sic fluunt: *Potest verti, et
 erit tibi in sanctificationem, quemodmodum etiam nonnulli vertunt.*
 P. GABR. ALVAREZ ^{m)} per sanctitatem inuoluere, putat, וְ
 מִקְרָשׁ idem ac stabilitatem et firmitatem. Reprehendit praeter-
 ea VITRINGA ⁿ⁾ GROTH, aliorumque opiniones, qui per מִקְרָשׁ
 asylo intelligant, eo ex fonte, quia Sanctuarium a Iudaeis nun-
 quam pro asylo sit habitum, quam vero dubitationem postea
 pro virili diluere studebimus; pergit tamen VITRINGA, quod
 sententiam, et explanationem spectat: *Deum fieri hominibus in
 Sanctuarium, quando illis per se absque Sanctuario externo omnia
 illa praestet effecta atque beneficia, quibus in Sanctuario, vel per me-
 dium Sanctuarii externi potiuntur, hoc est, quando certis et indu-
 biis signis suae gloriae demonstrat, se inter eos esse praesentem, quan-
 do eos voluntatem suam doceat, sanctificet, illuminet, lustrat, pascat*
*- - praecipue tamen, opinatur, alludi ad inhabitationem filii Dei
 in humana natura ad credentes in se sanctificandos, hoc est, lustran-
 dos, et peccata eorum expianda, et reliqua.* Attentione quadam
 denique adhuc digna est CALOVII ^{o)} commentatio, qua hor-
 rari nos videtur: *Non assurgendum hic esse glossae Grotianae:*
Erit in Sanctificationem i. e. asyli loco. Nam non tam protectio,
 pergit Vir beatus, quam a Domino habituri erant, quam fides,
 quam in Domino collocare debebant, innuitur, quod docet oppositio,
 vobis erit in Sanctificationem, aliis in lapidem offensionis; *ut ergo
 in lapidem offensionis est per infidelitatem, ita illis in Sanctificatio-
 nem est per fidem.* Sed salua tanti Theologi auctoritate, fides
 asylo non opponitur, Deus enim asylo fit suis per fidem.

Nec plures, qui eisdem fere sententiis subscribunt, nobis
 iam licet coaceruare verentibus, ne Lectores nostri submoleste
 ferant, si prolixiori scribendi genere abutamur eorum patientia.
 Ad illos potius interpretes, breuissimis quidem, pedem promoue-
 re fas erit, qui sententiae nostrae propius accedunt, vocisque
 מִקְרָשׁ vfitatissimam amant significationem, quam haud ita multo
 post satis idoneis corroborare studebimus rationibus. Prodeat
 autem e Iudaeis R. D. KIMCHIVS, qui in Comment. IES. C. VIII.
 14. hanc addit interpretationem: מִקְרָשׁ הוּא אֲרָמוֹן
 וּמְקוֹם

B

i) in Commentariis ad h. l. 1) in Esaïam ad h. l. p. 193. conf. ADAM
 SASBOVT in Comment. in Esa. Opp. Edit. Colon. Agr. 1575. pag. 44.
 m) in Esaïa exposito, edit. Lugd. 1623. p. 472. n) in Comment. ad h. l.
 T. I. p. 217. sequ. o) in Bibl. illustr. T. II. p. 48.

*) ומקום משגב שיטוב אדם בו et DON ISAAC ABARBANEL, postquam Rabbiorum, IARCHII, A. ESRAE, et KIMCHII, ipsorum etiam his antiquiorum Sapientum, qui vulgo dicuntur Mischnici Doctores, sententias adduxerat, et, cur sibi non facerent satis, monuerat, suam subiicit interpretationem, cuius haec est summa: Tres fuisse Hierosolymis eo tempore incolarum classes, eorumque diuersa consilia. Primam fuisse eorum, qui foedus cum rege Senacheribo ineundum, et a familia Dauidica, ex qua tunc Histias rebus praeerat, deficiendum statuerint; ad hos prophetae verba pertinere v. 12. ne dicitote קשר, ne cogitatote de foedere, etc. Alteram illorum, qui Senacheribum Assyrium nimis timuerint, omnemque spem euadendi abiecerint; ad hos spectare verba eiusdem commatis: ואת-מוראו לא תראו ne metuatis illum. Tertiam eorum, qui, sibi nimium confisi, bello cum Senacheribo congregiendum esse, existimarint, siquidem parua saepe manus ingentes copias proftrauerit; hos a nimia fiducia dehortatum esse vatem his verbis: אתו תקדשו hunc sanctificetis i. e. huius nomen honoretis, sed non per מרר et מעל per rebellionem, et praeuaricationem; in gratiam alterius classis, nempe nimis metuentium dixisse: והוא מוראכם hic sit metus vester; denique propter nimium confidentes, eosque tertiam classem constituentes, addidisse: והוא מעריצכם i. e. hic est auctor omnis fortitudinis, non vestra fiducia et audacia; et hic pugnabit pro vobis, non per vestrum robur, aut brachium; והוא יתברך יהיה ומקדש, et hic ille Deus benedictus erit vobis in מקדש, inde satis apparet, ABARBANELEM non per מקדש sanctificationem, sed confugium, asylum, et locum tutum, propugnaculum, aut eiusmodi aliquid, intellectum velle. Verba caeteroquin eius prolixiora sunt, quam quae huc transcribi poterint, leguntur tamen in eius Comment. ad h. l. p. 21. b. et 22. a. edit. Amstel. 1642. e patribus vero prae caeteris EVSEBIVS CAESARIENSIS. P) qui pericopae nostrae verba sic interpretatus, et in ea commentatus est: Κύριον αὐτῶν ἀγίασασατε, καὶ αὐτὸς ἔσται ὁ Φόβος, καὶ ἐὰν ἐπὶ αὐτῶ πεποιθὼς ᾖς, ἔσται σοι εἰς ἀγίασμα. *) Ἐὰν ἐν ἐπὶ αὐτῶ, Φησὶ, πεποιθὼς ᾖς, αὐτὸς ἔσται σοι εἰς ἀγίασμα.

*) vid. Succincta difficiliorum Hebr. voc. expositio ex DAVIDIS KIMCHII Comment. per SEBASTIAN. MÜNSTERVUM, Isaiæ Prophetae adiecta, Basil. per Henr. Petrum.

*) in Comment. in IES. qui extat in MONTFALCONII Collect. noua Patrum, et Scriptorum Graecorum T. II. p. 387.

*) Nonnulli interpretum vocem ἀγίασμα exponunt per sanctificationem, ex cit. loc. autem, et aliis Lexicographorum scriptis, satis superque patet, communissi-

ἀγίασμα, ὡς μὴ κέτι δεσθῆαι τῷ σωματικῷ ἀγιάσματος. Ἀγίασμα δὲ ἐκαλεῖτο παρ' Εβραίοις, ὁ πάλαι συνεστάς παρ' αὐτοῖς νεὸς, καὶ τότε τοῖ ἐνδοτάτω ἔσται σοι τοῖον τῷ ἐλαυνομένῳ ὑπ' ἐκείνων, πεπεισῶσι δὲ ἐπὶ κύριον, ἀγίασμα, ἔχ' ὁ σωματικὸς νεὸς, ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος ἀγιάζων σε, εἰάν πεποιθὸς ἦς ἐπ' αὐτόν, κ. τ. λ. Eadem fere mente illum excipit PROCOPIVS *) καὶ τότε, inquit, λοιπὸν ἔσται σοι εἰς ἀγίασμα μὴ κέτι δεομένῳ σωματικῷ τινὸς ἀγιάσματος, οὕτω δὲ τὸν παρ' αὐτοῖς ἐκάλεον συνεστάτα νεῶν, καὶ τότε τοῖ ἐνδοτάτω. Innatum quoque sensum τῷ ὩΡΩ exprimere solent ARIAS MONTANVS, VERSIO TIGVRINA, SYRIACA, ANGLICA, PISCATORIS, MÜNSTERI, PAGNINI, et VATABLI, qui posterior perbreuem hanc addit paraphrasin: *Et erit in arcem, vel vice arcis, et asyli coll. Ezech. XI. 16. id est, praestabit vos inaccessos, et inuiolabiles ab his regibus.* *) Id quod etiam egisse conspicimus IOH. CALVINVM, *) qui hac vtitur ἔξηγησις: *Promittit veris Dei cultoribus tranquillum animi statum, quia Dominus, quasi sub alis suis eos protegens, omnes eorum trepidationes facile pacabit. Alludit autem ad sanctificandi verbum, quo nuper vsus fuerat, quia nomen ὩΡΩ, quod nunc sacrarium, nunc arcem, significat, deducitur ab illa radice. Sensus est igitur: Deum nihil requirere, cuius non offerat mutuum compensationem, quia, quisquis eum sanctificat, ipsum vicissim experietur certum salutis asyllum - - Sanctuarium est veluti arx, in excelsa loco posita, et propugnaculum defendendis, ac tuendis piis, et reliqua. Huic COCCIVM adiungendum esse censemus, qui partim in Lexico Ebraeo v): et Dominus, inquit, erit Sanctuarium, partim in Comment. Ef. w) pergit; quando hic dicitur Iehoua erit in Sanctuarium, clarum est, ita posse explicari. Audiamus etiam CORNELIVM A LAPIDE x) hac de re disputantem: *Deus vos credentes et sperantes in se sanctificabit, et segregabit sibi, atque ut sanctos sibi que fideles, et segregatos proteget ab omni hostium incurfu, erique vobis quasi sanctuarium, et asyllum, vti ex**

B 2

Ebraeo

munissime eam denotare templum, qua de re conferri meretur SVIDAS in Lex. Gr. et Lat. T. I. p. 28. ex edit. Ludolph. Kusteri, Cantabrig. 1704. fol. vbi haec inuenies: ἀγίασμα ὁ θεῖος νεὸς. Δαβὶδ. ἐγενήθη Ἰσραὴλ ἀγίασμα ἀσ- τῆ; et VARIN. PHAVORIN. in Magno Dictionar. p. 8. edit. Venet. 1712. fol. vbi redditur ἀγίασμα, ὁ θεῖος νεὸς.

t) in Esaiam p. 133. s) vid. POLI Synopf. Crit. et aliorum Comment. Vol. III. p. 91. et CRIT. ANGL. T. III. p. 4737. t) in Comment. in Ef. p. m. 82. coll. FRANC. BURMANNI Exercit. Acad. P. I. Disp. XII. p. 215. v) p. m. 736. sub h. v. w) Opp. T. I. p. 142. Amstel. 1675. x) in Comment. in Proph. Mai. p. 132.

Ebraeo verti potest. Qua interpretatione etiam utitur GRO-
TIVS: y) *Et erit vobis in Sanctificationem, in Ebraeo, in Sanctua-*
rium, id est, asyli loco. Cui ad latus quoque ponendus videtur
LIGHTFOOTVS z): *eiusmodi, dicens, hominibus comminatur, im-*
missurum se in illos regnum satis potens, quod irrueret, ut vali-
dum flumen - - De ipso Immanuele illustra praedicat, quod
ipse futurus esset Sanctuarium. Vocem שָׁמֶר per Sanctuarium,
et asylum IOH. HEINR. MICHAELIS ^{aa)} interpretatur, imo, opti-
mos si consulere lubet Lexicographos, eandem significationem
ab illis cum cura annotari experiemur. Quorum tot tantaque in
litteras Ebraeas extant merita, GVSSETIVS ^{bb)} et BVXTORF-
RIVS ^{cc)}, vterque Vir celeberrimus, in enodandis vocum significa-
tionibus veris, intentionique Spiritus S. optime congruis magnam
nobis heic facem praetulere, KIMCHIVM ^{dd)}, ut videtur, secuti,
ita, ut non possimus non illis album adicere calculum, non qui-
dem praeiudicata quadam ducti opinione, sed firmis commoti
argumentis, quae nobis succincta ipsius textus *συνάφεια*, paral-
lelismus facer, ipsaque analogia fidei suppeditant, et quorum in
praesenti rationem reddere, nostrum quam maxime esse sentimus,
ne fortassis in Magistorum verba iurasse videamur.

Totam illam *προφητείαν*, ex qua nostrum decerpimus di-
ctum, in duas praecipue partes optime dispeisci posse arbitramur,
quarum vna est *ἀπειρητική* a v. 1-8. altera *παρακλητική* a v. 9. ad
finem.

y) in Annot. ad V. T. T. II, p. 13.

z) Opp. T. I. p. 100.

aa) in Bibl. Ebr. ad h. l. *et erit vobis fidelibus in Sanctuarium, et turrisimum asy-*
lum. Cui etiam respondet RAVFFIVS in Aphorismis Bibl. ad h. l. p. m.
424. qui ait: *Et erit (vobis) in Sanctuarium (i. e. asylum, quia ad loca sa-*
era licebat confugere.) conf. HOEFFNERI Tr. de Iustificatione in Praef.
vbi etiam שָׁמֶר per asylum explicatur, et DAN. BREVIVS in Notis ad
Esaïam Opp. Edit. Amst. 1666. fol. 119. ad h. l. *Et erit in Sanctuarium, is*
erit asyli loco vobis credentibus.

bb) in Comment. Lingu. Ebr. p. 731.

cc) in Lex. Ebr. sub voce שָׁמֶר sanctuarium, asylum, locus sacer, in quem quis
fugit, ut tutus sit IES. VIII. 14. et in Lexic. Chald. Talm. et Rabbin. Basil.
1639. fol. Ebraeorum, inquit, שָׁמֶר respondet Chaldaeorum שָׁמֶר vel
שָׁמֶר sanctuarium s. locus sacer, vti Scriptura S. plerumque interpretatur.
Idem habet ED. LEIGH in Crit. S. ex Aben Efra, ad quem provocat.

dd) in Comment. ad Iesaiam locum, qui extat in Bibliis hebr. Buxtorff, et in Li-
bro radicum v. שָׁמֶר, allegatque loca parallela AMOS. VII. 13. vbi de pa-
latio regio vsurpatur, EZECH. XI. 16. vbi שָׁמֶר idem esse, ait, ac *רָר* de pa-
tulis fortis ex Prou. XIII. 10. Huc facit etiam vocabulum praesidium, s.
auxilium, quod ARABS in sua versione huius loci Iesaiani habet, apud
WALTONVM in Bibl. Anglic.

finem. De tempore autem, quo hoc vaticinium elocutus sit IESAIAS, folliciti, ex eo, quod immediate praecedit, capite, certiores reddimur, istud eam aetatem ferre, qua Achafus, regis Iudae Iothami suboles, et Pekachus, filius Remaljae, rex Israëlis sceptrum imperii tenebant, IES. VII. 1. ^{ce}) Miserrimus omnino, imo deplorandus, tunc erat vtriusque regni status, ut peiorem illum fuisse vix vnquam nobis queamus persuadere. Ratio colendi summum Numen, quod alias tanto amplexum erat amore vtramque gentem, tam detestabilis erat, et execranda, ut Deum vehementissime offenderet, illumque ad officium iustissimi, et seuerissimi iudicis subeundum inuitaret. Is, quem Deus multoties praeceperat, cultus diuinus in pessimam degenerauerat *ἰδελοδρησικίαν*, hominumque *ἐντάλματα* tam sancte obseruata esse legimus, ut sibi quis religioni duceret, vel latum vnguem ab iis recedere. Variis in locis excelsis aras exstruebant, maclabant et offerebant holocausta, quorum sanguine Deum placatum quidem reddere opinabantur, qui tamen, iratissimum se illis esse, denuo profitebatur. Cum itaque haec rerum sacrarum conditio, deformata penitus, haud sine magno horrore, videri posset, quid mirum, si, euerso fidei et religionis fundamento, status ciuilis multo deteriorem induerit faciem? Deus tamen, *πλάσιος ἂν ἐν ἑλέει διὰ τὴν πολλὴν ἀγνοίαν αὐτῆς, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς* EPH. II, 4. mortis angelum, qui tam scelestum, impium atque ingratum populum iustissima poena afficere iussus erat, in via quasi haecenus retardarat, num forsitan pertinax illud hominum genus *ἀγνοῶν, ὅτι τὸ χρεῖσθὲν τῷ Θεῷ εἰς μετάνοιαν ἄγει*, ROM. II, 4. ad meliorem rediret frugem. Nihilo tamen magis blanda Summi Numinis voce commouebatur, et id, quod corrigere studebant nuntii diuini, longe deterius faciebat, ut adeo infelici vitae suae genere omnem illam Dei iram sibi adfisceret, quam PAVLVS eiusmodi hominibus vaticinatur: *κατὰ τὴν σκληρότητά σε, καὶ ἀμετανόητόν καρδίαν θησαυρίζεις σεαυτῷ ἔργῳ ἐν ἡμέραις ἔργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τῷ Θεῷ*, ROM. II, 5. Superstitione enim obcaecatos duces festinante gressu sequebatur gens ad religiosam superstitionem, proteruiam, caeteraque eiusmodi vitia procliuis, haud memor periculi, quod incurrebat, infatiabilis flagitiorum, in quorum voraginem se immergebat, nec metuens poenas, quas ipsi parabat Nemesis diuina. Vix absque mentis stupore omnia illa, de quibus dictum est, in ipsis sacris literis relata legimus, praesertim autem, si quis II. REG. XVI. coll. II. CHRON.

Cap. XXVIII. adire cupiat. Rex Iudaeorum Achafus primus quidem erat, qui poenas optime meritas luere, iratique Numinis potentiam quam maxime sentire debebat. Maris instar aestuantis Achafsi regiones inundabat rex Syrorum Rezinus cum socio Pekacho, Israëlitarum rege, qui Achafsi arcem regiam, Hierosolymamque cingebat obsidione, varia expugnabat oppida, II. REG. XVI. 5. 6. magnumque captiuorum numerum abigens, Damascum abducebat, II. CHRON. XXVIII. 5. sequi. His in angustiis oppressum, et plane e folio deiectum se esse, credebat Achafus, qui anxie quaerebat aliorum auxilia, eaque non a Deo, a quo adhuc longe remotus erat, sed a Rege Assyriae efflagitabat, qui etiam, precibus eius locum relinquens, contra Rezinum parabat bellum, et Damasco expugnata, illum e medio tollebat, II. REG. XVI. 9. Insuper etiam Idumaei Iudaeos adorti vicerant, et abduxerant captiuos, imo Palaestini, incurfione facta in oppida Iudaeae campestris, et quae in meridiem vergebant, ceperant Bethsamen, Aialonem, Gaderotha, Sochonem, Thamnam, et Gamzonem cum eorum coloniis, II. CHRON. XXVIII. 17. 18. Haec autem omnia peruersam Achafsi mentem nec mutare, nec animum eius infringere, poterant, quia nunc ab omnium hostium inuasionem liberum, et a futuro periculo plane immunem, se esse, frustra tamen, sibi persuadebat. At longe aliter accidebat omnem praeter spem et opinionem. Rex enim Assyriae Teglatphalnasar, qui illi antea in amicitiae testimonium contra Rezinum praestiterat auxilium, ipsum nunc inuadebat, vexabat, obsidebat, II. CHRON. XXVIII. 20. Et quamquam Jehouae templi, regiarum, procerumque facultatum, partem cepisset, regique dedisset Assyriae, nihil tamen inde ad illum redit. Hac ratione impletum legimus, quod IESAIAS C. VIII. 7. 8. praefagiendo adumbravit, cui etiam addidit rationes, cur Deus iratus illi tantam, quantam vix ferre poterat, calamitatem intulerit, quia, scilicet spernens diuinum auxilium, ad commentitios et fictos Syrorum, et, quos hi etiam venerabantur, Israëlitarum Deos confugiens, his se tutandum commiserit. Haec bene respondent illis, quae II. CHRON. XXVIII. 23. leguntur: Damascenorum Diis, a quibus caesus fuerat, sacrificauit Achafus, dicens: Deos regum Syriae Syris opitulari, itaque sese sacra facturum, ut ab eis adiuuetur. Quo autem modo gens Iudaea hoc in tristissimo rerum statu vitam degebat, quam non suam, sed Domini esse, apprime habebat perspectum? Regis exemplum, ad quod alias totus orbis componitur, plerique sectantes suo prorsus indulgebant genio, a re-

et pietatis via deflecentes, idola gentilium superstitioso prosequen-
 bantur cultu, nihilque minus, quam cum laeso Iehoua in gratiam
 redire, meditabantur. Iam vero ad spectu potentissimorum hostium
 obstupecebant, trepidabant, querebantur, occasum et interitum
 regni sui opinione augurantes. Nec dubitatio nobis est, quin
 multi hac ex gente, vera fide, et pietate praediti, adhuc residui fue-
 rint, qui Baalis nec genibus acciderint, nec eum osculati sint ori-
 bus, nonne etiam illis pericula, quae imminebant, haud leuem in-
 cutere valebant terrorem? Vates itaque noster iussu Numinis Sum-
 mi eos potissimum omnes oratione sua, solatio plenissima, iterum
 erigit tremantes c. l. 9. 10. sequi. exhortando illos: Hostes qui-
 dem aduolantes magno cum strepitu, clamore, superbiaque ter-
 ras, harumque incolas subito inuadent, putantes, se totam hanc
 gentem exiguam, debilem, et a Deo suo derelictam, primo qui-
 dem impetu debellaturos esse, dissipaturos, oppressuros: illi ta-
 men terga dabant, consilia ineuntes nihil prorsus efficiunt, et alio-
 rum machinantes perniciem, sibi ipsi noxam inferent, כִּי עִמָּנוּ אֵל
 nam hic est Immanuel, aeternus Dei filius, nasciturus ex virgine
 quadam in tempore, cui tanquam veri Messiae characteristicum ff)
 nomen אֵל עִמָּנוּ competit IES. VII. 14. coll. MATTH. I. 23.
 שְׁלֹמֹה GEN. XLIX. 10. אֵל גְּבוּרָה et שֵׁר שְׁלֹמֹה IES. IX. 5. il-
 le, de quo Hiero-Psaltes ps. II. 8. 9. canit: אֵל מִמְּנֵי וְאַתְּנָה גֹיִים
 נִחַרְתָּךְ וְאַחֲרָיִךְ אֶפְסֵי-אֶרֶץ : תִּרְעֵם בְּשִׁבְטֵי בְרֹזֶל כְּכֹלֵי
 : יוֹצֵר תְּנַפְּצֵם : Ille Messias, ille Immanuel vobis, o Iudaei metu
 perterriti, contra excursions hostium et latrocinia, qualia quanta-
 que sint, exoptatissimum, et praestantissimum feret auxilium. Se-
 quamini tantummodo me, qui neutiquam vestigia premo huius
 populi, i. e. eorum, quibus adhuc intolerabile regnantis peccati
 iugum humeros deprimit; me, quem ipse Deus, viam huius gentis
 haud ingredi, iubet c. l. v. 11. Nec hostes timeatis ⁸³), nec cum
 Sebna foedus contra familiam Dauidicam sancire conemini, cuius
 aequae tantus terror, tantusque tremor animum percutit, vt nec
 sibi, nec vobis, esse possit auxilio, c. l. v. 12. multo minus de foe-
 dere cum hostibus vestris Assyriis ineundo, et de deditioe (vt
 aliqui Iudaei, inprimis supra allegati, interpretantur) cogitetis. Ve-
 rum sanctificetis exercituum Dominum, credendo et sperando in
 illum, eiusque auxilium expetendo, hic solus vester timor sit at-
 que terror, ne illum vterius peccatis vestris offendatis, et ad iu-
 stissi-

ff) conf. LANGII Causa Dei P. II. Sect. II. Membr. II. C. III. p. 713.

gg) vid. IOH. TARNOVII Exerc. Bibl. L. III, Miscell. p. 798.

XVI

stissimam iram concitetis. Ille enim solus vobis erit Sanctuarium, seu Asylum, i. e. sub istius tutamine vobis optimo frui licebit refugio, optima securitate, optima quiete; ille vos omnes potentia sua, qua coelum, et terram ex nihilo produxit, sustentat, et conseruat, in posterum benignissime proteget, seruabit, atque tuebitur, vt vanam omnium hostium sine viribus iram exsibilare et explodere poteritis.

Hanc igitur interpretationem vocis **מקדש** suadet nobis totius capituli *συναφεια*, quam si negligamus, contortus plane, et obscurus enasceretur huius vaticinii sensus. Enimvero significatione **מקדש** sanctificationis ex mente Virorum quorundam doctissimorum, de quibus supra egimus, retenta, scopo Prophetæ aduersamur, qui non in eo occupatur, vt Iudaeos vel de sanctificationis causâ efficiente principali, vel de tempore, modo, mediisque gratiæ sanctificantis, adeoque de bonis spiritualibus doceat, sed vt eos, qui variis vexabantur calamitatibus temporalibus, diuino solatio erigat, et de summi Numinis auxilio reddat certiores. Hannibal quasi ante portas erat, hostes vndiqueque irumpabant, et ab hominibus derelicti diuinum desiderabant praesidium. Quale itaque solatium his in miseris, si allocutus eos esset Iesaias: Ne timete, Iudaei, insensissimos vobis hostes: sed sanctificate Deum Zebaoth, i. e. credite, sperate in illum, spernite gentium numina, quae hactenus superstitiosa coluistis religione, summus potius Deus, et Immanuel vester timor esto, vesterque terror: tunc vobis erit sanctificatio Deus, h. e. inhaerentes vobis iustificatis peccati reliquias, ne dominetur, adimet, diuinæ voluntati vestram quoque conformem reddens, Spiritum S. vobis mittet, qui vos in omnem veritatem ducat, et sub cuius auspicio piam et sanctam vitam in posterum viuetis? Num hoc solatio, hac promissione Iudaeos contentos, animosque eorum, metu percussos, pacatos potuisse reddi putas? Dein, quo, quæso, modo oppositioni occurrere velles, cum iuxta legitimæ oppositionis leges iudicandum sit, vt sit *αὐτὸ, κατὰ τὸ αὐτὸ, et πρὸς τὸ αὐτὸ*. Hic vero vnum **מקדש** in proprio, alteri **מקדש** in improprio sensu opponeretur, quare prius oppositionis membrum *πρὸς τὸ αὐτὸ*, seu eodem respectu necessario in sensu improprio et metapharico alteri adiungi debet. Et ponamus etiam, vocem **מקדש** sensu gaudere proprio, nihilo tamen minus, si **מקדש** opponeretur, incommodus enasceretur sensus; sanctificabit vos Iudaeos Dominus, caeteros vero non sanctificabit, quae de Deo, qui semper hominibus beneficia gratiæ suae regenerantis, iustificantis, et sancti-

sanctificantis lubentissime offert, nisi hoc ipsum in dubium vocare audeas, nullo modo dici queunt. Est ergo huius allegoriae sensus commodissimus: Deus erit fidentibus sibi asyllum, diffidentibus autem pernicies, siue, opem feret confidentibus, puniet autem praua consilia contra familiam Dauidicam cum Sebna (v. supra dicta) molientibus. Accedit denique etiam Parallelismus sacer, quo euincamus, vocem illam מקדש hanc significationem in ipsis sacris literis obtinere vnitissimam, qua idem ac sanctuarium et asyllum denotat. Ad prius quod attinet, in primis conferri merentur sequentia loca: EXOD. XV. 17. - XXV. 8. LEVIT. XII. 4. - XVI. 33. - XIX. 30. - XX. 3. - XXI. 12. - XXVI. 31. NUM. X. 21. - XVIII. 1. 29. - XIX. 20. 10S. XXIV. 26. IES. XVI. 12. - LXIII. 18. IER. XVII. 12. - LI. 51. EZECH. V. 11. - VII. 24. - VIII. 6. - IX. 6. - XXI. 7. - XXV. 3. - XXVIII. 18. - XLIII. 21. - XLIV. 1. - XLV. 3. 4. 18. - XLVIII. 10. 21. AMOS. VII. 9. PS. LXVIII. 36. - LXXIII. 17. - LXXIV. 7. - LXXXVIII. 69. - XCVI. 6. THREN. I. 10. - II. 7. 20. DAN. VIII. 11. - IX. 17. - XI. 31. NEHEM. X. 40. I. CHRON. XXVIII. 10. Per asyllum exponendum esse putamus vocem מקדש EZECH. XI. 16. vbi Deus genti Iudaeae, in remotissimas regiones dissipandae, promittit: שם יהיה מקדש להם ומאזי להם למקדש מעט בארצות אשר באו שם et nostro in loco IES. VIII. 14. occurrit etiam AMOS VII. 13. מקדש המלך, vbi arcem regiam denotare videtur, quae loca etiam a Rabbiniis pro hac asyli significatione confirmanda adduci, supra suo loco commemoratum est. Cum igitur ex his, de quibus disputauimus, satis constet, vocem מקדש famosiore quidem in Scriptura sacra obtinere sensum Sanctuarii, a quo, vt hermeneuticae docent regulae, non recedendum est, nisi nos urgeat necessitas; longissime tamen ab eodem abesse interpretatio nostra videri potest. At probe tenendum esse arbitramur, varia inter adiuncta Sanctuarii hoc nostrum quoque eminuisse, quod in sequentibus illustrabimus. Varium enim in finem exstructum esse Iudaeis templum Iehouae neminem latet, qui sacras literas inuestigare et perscrutari omnem nauat operam. Reliquos inter, non dicamus primarios, sed secundarios etiam hunc referendum esse haud inficiari quis potest, vt illi, qui criminis cuiusdam imprudenter commissi accusarentur, securitatis causa eo confugiant, immunes ab omni periculo. Praeterea Summi Numinis gratia atque potentia in protegendis fidelibus eodem fere sub schemate in Sacris literis occurrit, v.g. PS. LXXI. 3. Dauides, variis faepissime agitur casibus, de Deo summa cum fiducia canit: יהיה לי לצור: nuncupat Deum ps. XVIII. מִשְׁבַּב et מצודה, ps. XC. מֵעוֹ coll. PROV. XVIII.

XVIII

XVIII. 10. בַּשָּׁמַיִם וּבַיָּם וּבְכָל הָאָרֶץ כִּי יִהְיֶה שֶׁשׁ רַע-לְבָבִים, vt reliqua silentio praeterire liceat. Neminem caeteroquin fore arbitramur, quem fugiat, templa veterum gentium olim loca omnibus eo confugientibus tutissima extitisse: *) sic etiam apud Iudaeos domus, Summo Numini sacra, vnicuique misero et afflicto inuiolabile et securum fuit refugium, quo optimo praesidio, optimaque quiete frui potuit. Vtrumque, quod a nobis dictum est, testimoniis quibusdam illustrare haud ingratum erit lectoribus, qui amoenissima antiquorum rituum recordatione delectantur. Veteres gentes sacra, templaque Deorum sacrosancta a quouis haberi voluisse, memoriae prodiderunt Historici. Themistocles enim, rebus male gestis, timore poenae permotus ad Molossorum regem Admetum confugit, ibique, absente rege, asylum petiit eius Sacrarium, vt refert PLUTARCHVS: ^{hh)} ἔχων γὰρ αὐτῷ τὴν υἱὸν ὄντα παῖδα πρὸς τὴν ἑστίαν προσέπεσε τάυτην μεγίστην καὶ μόνην σχεδὸν ἀναντίβητον ἠγεμένων ἱεσίων τῶν Μολοσσῶν. Quo cum consentit THUCYDIDES: ⁱⁱ⁾ ὁ δὲ, inquit, τῆς γυναικὸς ἰκέτης γενόμενος, διδάσκειται ὑπ' αὐτῆς τὸν παῖδα σφῶν λαβῶν καθίζουσαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν. De Tullio commemorat DIONYSIVS HALICARNASSEVS: ^{ll)} τοιαῦτα διεξελθὼν συνεβέβησεν (Τύλλιος) αὐτοῖς, ἱερὸν ἄσυλον ἀπὸ κοινῶν ἀναλωμάτων ἐν Ρώμῃ κατασκευάσασθαι. Lectu dignum est, quod PAVSANIAS ^{mm)} de templo Hebes asyli iure ornato literis mandavit: ἔσι γὰρ ἐν τῇ Φλιασίῳ ἀκροπόλει κυπαρίσσω ἀλσος, καὶ ἱερὸν ἀγιάτατον ἐκ παλαιῶν τὴν δὲ Θεὸν, ἧς ἐστὶ τὸ ἱερὸν, εἰ μὲν ἀρχαιότατοι Φλιασίων Γανυμήδαν, οἱ δὲ ὕστερον Ἡβην ονομάζουσι - - - παρὰ δὲ Φλιασίοις τῷ Θεῷ ταύτῃ καὶ ἄλλαι τιμαί, καὶ μέγιστον τὸ ἐς τὰς ἰκέτας ἐστὶ: δεδούκασιν γὰρ δὴ ἀδείαν ἐν ταῦτα ἰκετεύουσι, κ. τ. λ. IDEM ⁿⁿ⁾ ille narrat de Aleae Mineruae templo: ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν πέτρο ἐκ παλαιῶν Πελοποννησίων πᾶσιν ἀιδέσιμον, καὶ τοῖς αὐτοῖσι ἰκετεύουσι ἀσφάλειαν μάλις παρείχετο: ἐδήλωσάν τε οἱ τε Λακεδαιμόνιοι τὸν Πανσαιῖαν, καὶ ἔτι σφόδρον τότε Λεωτυχίῳ, καὶ Ἀργείοι Χρυσίδα, καθεζομένης ἐν ταῦτα ἰκέτας, ἐδὲ ἀρχὴν ἔχαιτῆσαι θελήσαντες κ. τ. λ. De Caesaris sacello asyli in star habito DIO CASSIVS: ^{oo)} ἀπηγόρευσαν δὲ, ait, μηδεὶα ἐς τὸ ἱερῶν αὐτῷ καταφυγόντα ἐπ' ἀδεία μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι μήτε συλάσθαι. Nec sper-

*) IVL. POLLVCIS Onomast. L. I. C. I. Segm. 10. p. 9. edit. Amstel. 1706. fol.

hh) in Themist. P. I. vit. Paral. p. 273. edit. August. Bryani, Lond. 1729. f.

ii) Hist. L. I. p. 88. edit. Dukeri, Amstel. 1731.

ll) in Antiqu. Rom. edit. Ioh. Hudsoni, Oxon. 1704. fol. L. IV. C. XXVI. T. I. p. 221.

mm) in Corinth. f. L. II. C. XIII. p. 140. Igu, Edit. Lips. 1695. fol.

nn) in Lacon. f. L. III. p. 216.

oo) in Hist. Rom. L. XLIII. p. 338.

spernendum putamus testimonium LIVII^{pp}), qui, templum, inquit, est Apollinis Delium, imminens mari, quinque millia passuum a Tunagra abest: minus quatuor millium inde in proximo Euboeae est mari traiecit, uti et in fano lucoque ea religione, et eo iure sancto, quo sunt templa, quae asyla Graeci appellant.^{qq}) Loca a communi vsu separata, soli que Deo consecrata apud Iudaeos hac splendebant auctoritate, haec prae caeteris excellentia, qua nemo hominum dignitatem et iura eorum, ab ipso Iehoua confirmata et obsignata, laedere audebat. Non quidem omnibus temere eo confugientibus patebat templum, qui homicidia, aut alia facinora patrauerant scientes, volentesque coll. exo. XXI. r. 4. sed afflictis tantum atque miseris, praefertim iis, qui hominem per imprudentiam occiderant, ut hoc loco vterentur ad effugiendos vindices, ne homicida, indicta causa, mortem subiret. Quem in finem etiam Deus, sex loca, quae asyla dicebantur, tria cis Iordanem, reliqua in Chananaea sita exstruere, Mosem iusserat,^{rr}) quibus oppidis tam Israelitae, quam peregrini ad perfugium vterentur, ut eo confugerent, quisquis hominem imprudenter occidisset. Horum quidem fit mentio, NVM. XXXV. 6. 11. 13. 14. 25. 26. 28. 32. et 10s. XX. 7. 8. XXI. 13. 21. 27. 32. 38. quibus in locis eorum exstructio, situs et iura prolixius describuntur. Et nullum deinde futurum esse credimus, quin sciat, templum et sanctuarium summi Iehouae Hierosolymitanum, imo totam urbem iure asylorum donatam et munitam fuisse. Sic enim IOSEPHVS^{ss}) de Homero refert: τὸ γὰρ ἱερόν τὰ Σόλυμα κατὰ τὴν Εβραϊαν ἀνομάσασιν γλώσσαν, ὃ ἐστὶν ἀσφάλεια. IDEM^{tt}) Demetrii ad Iona-

C 2

pp) L. XXXV. C. 51. p. 994. T. IV. edit. Drakenborchii, Amstel. 1741. 4.

qq) conf. PERIZON, ad Aelian. L. VI. C. 7. IOSEPH. LAVRENT. in Polymath. L. II. Diss. XIV. SIRMOND. ad Ennod. L. I. Ep. VIII. ZIMMERMANN in Analect. p. 581. VOGTIVS de Alcaribus Veterum Christianorum C. 17. SELDENVS in Not. ad Marm. Oxon. p. 25. sequ. IOH. A CHOKIER DE SVRLET in Face Histor. STRABO Geogr. L. IX. p. 641. vbi templum Dianae Ephesinae asyli iure ornatum dicitur. OSTIANDER de Asyl. Christ. et Gent.

rr) Conferri meretur IOSEPHVS in Antiqu. Iud. L. IV. C. VII. p. 225. T. I. edit. Hauecamp. ἀκοδομηθεὶς δὲ, dicens, καὶ Μωϋσῆς τὰς δυνάμεις τὰς εἰς τὸ ἀρεθμὸν τῶν ὀκτὼ καὶ τεσσαρῶντα γεννησάμενος, ὡς τρεῖς ἀπέδειξε τοῖς ἱσ' ἀκυσίῳ φῶνι φευχόμενῳ. MELCH. LEIDEKKER de Republ. Ebr. L. VI. C. III. p. 345. edit. Amst. 1704. vid. RELANDI PALAEST. T. I. L. I. C. I. p. 6. edit. Traiect. Batav. 1714. LVNDII Jüdische Heiligthümer L. IV. C. XXX. p. 872. sequ. LEVSDEN. Philologus Hebraeo-Mixtus Disp. XLVIII. p. 330.

ss) c. 1. L. VII. C. III. p. 374.

tt) c. 1. L. XIII. C. II. p. 636. coll. 10H. SELDEN. de Synedriis Ebr. L. III. C. VIII.

10.

Ionathanem literas exhibet, in quibus haec leguntur: *καὶ τὴν Ἱεροσολυμιτῶν πόλιν ἱερὰν καὶ ἄσυλον εἶναι βέλομαι, κ. τ. λ.* Optumetamen haec de re certiores nos reddere potest Scriptura Sacra, quae variis in locis sententiae nostrae propius paulo accedit. Adonias, filius Davidis e Hagitha natus, regnandi cupidine flagrans, et amicos consanguinitate sibi coniunctos ad conspirationem excitans, periculosissimis grauidus incescit consiliis, vt Salomoni, a Dauide legitimo regni haeredi constituto, insidias strueret, eumque forsitan tolleret e medio, vt eo melius, illo sublato, scepra imperii tenere posset I. REG. I. 50. Dauides autem consilio Nathanis, et Bathsabae precibus permotus, Sadocum pontificem, Nathanemque vatem, et Banaïam, Ioïadae filium, accersi iussit, illisque imposuit, vt Salomonem regem Israëlitarum vngerent, eumque, dato tuba signo, regem salutarent. Adonias, audito tubae fonitu, percontari coepit, quid sibi vellet tumultus ille ciuium, et cum audiret, Salomonem regem esse creatum, valde perterritus est, et illum formidans ad aram sese recepit, eiusque prehendit cornua.*) Quod cum Salomoni est nuntiatum, illi, si nullum in eo scelus deprehensum sit, nec mortis, nec alius generis poenam daturum se esse promisit. Adonias fide regia fretus, et ab ara abductus a quibusdam, ad Salomonem venit, huncque regem salutans submisit, domum redire iussus est. Dauide autem peremto morte, Salomo, hominum sapientissimus, regia occupauit subfellia, qui se, patriumque genus a sanguine, quem per iniuriam fuderat Ioabus, expiare morientem parenti iurauerat, I. REG. II. 5. 6. Ioabus enim duos viros se et iustiores et meliores, Abnerum Neris, et Amasam Iethris filium, Israëliticarum copiarum duces, inscio Dauide, ferro interfecerat, hinc ne inulti decederent illi, voluntati patris, in vltimo eius mortis articulo cognitae obtemperaturus Salomo Ioabum e medio tollere iussit, lege imprimis diuina suffultus: GEN. IX. 6. שִׁפְךָ רֵם הָאָרֶם כְּאָרֶם רְמוֹ יִשְׁפֹּךְ, coll. EXOD. XXI. 14. Ioabus, a iudice conscientia et accusatus et condemnatus, iustissimam facinorum suorum mercedem impetraturum se esse, augurans, vitam tamen conservare studuit, et ad templum, araeque descendens, saluum sospitemque se tutissimo hoc in loco fore credidit. Sicuti autem ad asyla temere confugientes et securitatem et salutem adipisci nequeunt EXOD. XXI. 14. וְכִי-יָזַר אִישׁ עַל-רֵעֵהוּ לְהַרְגוֹ בְּעֶרְמָה מֵעַם מִזְבְּחֵי תִקְוָתָם לְמוֹתָם

1D. de Iure Nat. et Gent. iuxta Discipl. Ebr. L.IV. C.II. p.491. OSIANDER de Asyl. Ebr.

*) De his et sequentibus vid. LVNDIVS c.I. p. 877. et LEVSDENIVS cit. loc.

ita quoque spes fefellit Ioabum, qui se vtramque nacturum esse sibi persuasit. Banaias enim, a Rege iussus, domum Iehouae adiit, et Ioabum, qui ex ipsa prodire renuit, adgressus obruncauit. Praeterea etiam memoratu dignum istud putamus, quod II. REG. XI. 3. sequ. a Spiritu Sancto relatum nobis legimus. Ochoziae mater Athalia, quae sanguinolentae leaenae magis, quam matris, nomine digna censebatur, mortuo filio suo, omnem regiam domum perdidisse dicitur. Iorami autem regis filia, sororque Ochoziae, Iosaba Ioam, Ochoziae filium, eiusque nutricem clam seduxit, et eum, ex Athaliae conspectu remotum, sex annos in Iehouae templo habuit, et conseruauit, quibus praeterlapsis, vt legitimus patris haeres, e caeteris adhuc superstes, in publicum prodiit, rexque creatus est, quo facto, impia et crudelis Athalia ferro trucidata obiit.

Et quid nobis pluribus opus est rei argumentis, quibus templa apud Ebraeos asylosum formam induisse probemus? Haec enim commemorasse sufficiant, quae sententiam eorum, qui contrariam partem tueri student, nisi veritati pertinacius contradicere malint, inuertere satis possunt. Ad orbitam itaque redeamus, et cum in antecedentibus satis demonstrauerimus, τὸ ἄσυλον hoc in nostro loco explicari posse, et debere per asyllum, necessum esse arbitramur, paucis adhuc ipsa comparationis tertia eruere, quibus Immanuel nosfer cum asylo proprie tali conueniat. *) Asyla autem certa erant illa loca, quae diuino mandato eum in finem olim exstruebantur, vt homines, qui delicti alicuius, ex imprudentia commissi, accusabantur, securitatis causa eo se reciperent. Immanuelem nostrum si dicas asyllum, non proprie et localiter, sed improprie et virtualiter id intellectum cupimus. Summa enim et infinita Christi Θεανθρώπου potentia, qua miseros et afflictos Dei filios vna cum patre suo benignissime conseruat, protegit, et tuetur ἀνθρώπου παθῶς quidem hoc sub schemate exhibetur, quod tamen Θεοπροσώπου est explicandum. Ita sane cum hominibus agit Deus per συγκατάβασιν, vt illis res ὑπὲρ γέν, ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ πάσαν κατὰ φύσιν sub certis quibusdam signis et imaginibus cognoscendas fistat, quibus ea, quae hic δι' ἐσόπτρου ἐν ἀντικυματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον videbunt, aliquo saltem modoprehendere queant. Christus itaque, nosfer Immanuel MATTH. I. 23. certus est, et a Deo constitutus omnium hominum σωτήρ ACT. IV. 12. I. TIM. II. 5. Spiritu tamen praecipue Domini Iehouae praeditus, et vnctus a Deo, missusque ad laeta nuntianda inopibus, ad medicandum mente fractis IES.

C 3

LXI.

*) De Asylosum olim conditorum myrica significatione videri potest SAL. GLASSIUS in Philologia sacra L. IV. Tr. III. p. m. 1391.

LXI. 1. 2. coll. MATTH. V. 3. 4. qui ex consilio diuino, *πρὸ καταβολῆς κόσμου* inito, vnicus ille est, per quem homines, seriam agentes poenitentiam, et in illum vere credentes, cum Deo reconciliari, eiusque gratiam amissam recuperare possunt. IOH. XIV. 6. 1. IOH. II. 2. 3. Accedentes ad Deum, iustissimum peccatorum vindicem, fide in Christum saluifica praediti, et non suo, sed huius merito innixi, tunc coram iudicio diuino a culpae et poenae reatu plenarie absoluti, iustique declarati numero filiorum Dei adscribuntur, et diuitiis gratiae diuinae, quae omnes rationis limites excedit, in hoc et futuro seculo explentur et satiantur. Quanta autem cum felicitate, quanta cum excellentia, quanto cum coelesti gaudio coniunctus est beatissimus electorum status, qui ex vnione cum Deo, et Christo arctissima, et ex viua futurae fortis contemplatione oritur: tantis miseris, tantis calamitatibus et aerumnis vitam eorum, quam his in terris degunt, implicatam conspiciamus. Cuius nec meliorem conditionem ipsis promisit sanctissimus Saluator IOH. XVI. 20. 23. coll. XV. 18. 19. hunc sectantes, et amore prosequentes *τῆς αὐτῶν πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, ὃς ἐντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χάριτος, ὑπέμεινε σκυρὸν αἰσχρῆς καταφρονήσας.* EBR. XII. 2. parem miseriam, fataque paria subire tenentur. LVC. IX. 23. 1. PETR. IV. 12. 13. 14. 16. 19. Infensissimi sibi hostes vndiquaque eos inuadere minantur, angunt et premunt illos, nihil quam exitium eorum moliantur. Satanas fidelium *ἀντίδικος, ὡς λέων ἀρούμενος*, ineffabiles his fruit infidias I. PETR. V. 8. APOC. XII. 9. coll. LVC. XXII. 31. et dies noctesque eos coram tribunali diuino accusat, APOC. XII. 10. Mundi, rerumque terrenarum abnegatio, intimaque Christi dilectio comparat ipsis immane, nullisque fere limitibus circumscriptum totius mundi odium, LVC. XXI. 12. 16. 17. IOH. XV. 19. XVI. 20. XVII. 14. ROM. VIII. 36. II. Tim. III. 12. Variis itaque agitati casibus nec salutem desperant, nec penitus opprimuntur, dulcissimo potius eriguntur et mulcentur solamine: *לֹא עָמְנוּ בִּי מַקְרָשׁ וְהָיָה לִּי מְקָשׁ* hic est Immanuel, et erit asyllum. Illis, qui olim asyllum petebant magna et molesta via superanda erat, in qua spem inter et metum versabantur, ne a persecutoribus deprehensi interficerentur, verentes, nec tamen a recto tramite aberrare poterant, quia viae ad asyllum erant adplanatae, et statuis mercurialibus instructae, quae ignaros instruerent. v) Ad Christum fugientes haud longe remotum sentiunt

soffi-

vv) Plura vid. apud GODWINVM in Mose et Aaron. LII. C. V. §. 4. et apud IARCHIVM in Commentario in Deutr. translata a BREITHAVPTIO, vbi ad locum Deutr. XIX. 4. p. 1412. hoc inuenies: *Scriptum erat in separatione viarum וְהָיָה לִי מְקָשׁ i. e. asyllum, refugium.* IOH. LEVSDEN. c. 1. *Viae, inquit, quae ad urbes refugii*

sospitorem. MATTH. XVIII. 20. XXVIII. 20. ACT. XVII. 27. coll. IES.
 XLIII. I. 2. PS. XXXIV. 10. XCI. 15. CXLV. 18. hunc scriptura sa-
 cra, via expeditissima, ostendit, qua si incedant, nec errare, nec labefa-
 ctari possunt, PS. CXIX. 105. 114. coll. 92. IOH. V. 39. et efficacif-
 simo interno recreatis solatio largitur Spiritum Sanctissimum, qui ὑπερ-
 εντυγχάνων ὑπὲρ αὐτῶν σεναγμοῖς ἀλαλήτοις eorum succurrit infirmita-
 tibus ROM. VIII. 26. Asyla dicebantur sacro sancta, non quidem per
 se, sed accidentaliter, quia p. apud gentiles diis quibusdam consecrata
 erant, p. apud Ebraeos mandato Dei condebantur NVM. XXXV. 6.
 11. 13. Christum si spectes, omnium ille per se, et essentialiter est san-
 ctissimus LEVIT. XI. 41. IES. II. 3. EBR. VII. 26. Asyla conditores
 habebant homines, qui magna cum cura, et studio fundamenta illo-
 rum iaciebant, et deinde afflictis portas aperiebant securitatis. Chri-
 stus autem a Patre suo ab aeterno genitus PS. II. 7. PROV. VIII. 22.
 23. coll. IOH. I. 1. COL. I. 17. et a Deo factus nobis est sapientia, iu-
 stitia, et sanctitas et liberatio, I. COR. I. 30. qui se omnibus miseris Dei
 filiis ipse offert asylum MATTH. XI. 28. 29. Plura olim extabant asyla,
 Christus autem solus et vnicus omnibus sufficit, in cuius vulneri-
 bus omnes et singuli vera fide eo confugientes vitam secure viuere
 possunt. Et quis, quaeso, verbis exprimere valet istud gaudium, illam
 animi tranquillitatem, illam quietem, qua perfruebantur, qui sum-
 mo periculo pressi, in optimo securitatis gremio, munitissimoque lo-
 co, in quo nec inimici, nec vindicis expositi erant insidiis, habitare,
 diuque manere poterant? Longe autem maiori laetitia, longe excel-
 lentiori gaudent illi quiete, qui in Christo se viuere gloriarī queunt,
 ROM. VIII. 36. 37. GAL. II. 20. Ille lassas consperget animas, omnes-
 que dolentes animas replebit, IER. XXXI. 23. ille eum proteget, qui
 nomen eius agnoscet, PS. XCI. 14. 15. 16. ille regnum suum ipsis, qui
 secum permanserunt in aduersis, legabit, LVC. XXII. 28. 29. Nec
 perpetuo erunt in obliuione pauperes, non semper irrita erit spes
 eorum PS. IX. 19. coll. LV. 22. LVC. XVIII. 8. Accusati coram iu-
 stissimo iudice ob infirmitatis peccata, optimus ipsis adest παρακλη-
 τος, I. IOH. II. 1. ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τῆς Θεῆς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ αὐτῶν ROM.
 VIII. 34. qui ἐξάλειψας τὸ κατὰ ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν
 ἑπικρατικὸν ἡμῶν COL. II. 14. eorum loco λύτρω ἰσοβόρω diuinae iusti-
 tiae fecit satis. Nec timeatis, o fideles, calamitatum et tentationum
 prelo

*fugii ducebant decimo quinto mens. Febr. quotannis complanabantur, ut nullum esset
 obstaculum, quod fugientem homicidam impedire posset. Eo die emittebantur quidam,
 qui vias hyemalibus imbribus corruptas repararent, et ponses, si flumina intercurrente-
 rent, labefactos, aut excussos repararent.*

XXIV.

prelo subiecti, periculosissima hostium vestrorum confilia, quae vestram perniciem, vestrumque spectant interitum 11. Cor. XII. 7. Is enim frendentis Satanae vim infringet, eumque breui sub pedibus vestris conteret, ROM. XVI. 20. qui est רב להושיע IES. LXIII. 1. qui potentissima manu copiis infernalibus, eorumque principi eripuit victoriam 1 COR. XV. 55. COL. II. 15. EBR. II. 14. 15. eumque in tartarearum tenebrarum catenas praecipitatum coniecit 11. PETR. II. 4. coll. APOC. XII. 8. 9. Et quam magno et forti animo omnes mundi fremitus, omnem inuidiam, omneque odium spernere, et nihili aestumare possunt fideles, 11. COR. IV. 8. 9. 10. sequi. Christus quidem tristissima ipsis vaticinatus est tempora, 10H. XVI. 33. in mundo afficiemini cruciati; addidit tamen promissionem solatio plenissimam: Sed bono estote animo, ego vici mundum, coll. ZACH. II. 12. כִּי הִנֵּנִי בְּיָדוֹ בְּכֶסֶף נִגְעַ בְּבִכְת עֵינָיו 11. Cor. I. 5. At quid tandem dicamus de aeterna, qua pii afficiendi sunt, gloria, cui ea, quae hoc tempore patiuntur, nequaquam paria esse censentur, ROM. VIII. 18. 11. COR. IV. 17. 18. Illos, qui olim asylorum iure utebantur, vsque ad summi pontificis mortem oportebat ibi permanere, NUM. XXXV. 28. qua secura, ab omni poena liberi, et immunes, omni sine metu atque periculo domum redire, ipsis erat licitum. Longe aliter res sese habet, cum intimis Christi amicis, electisque Dei filiis, qui migrare quidem, ac cum Christo in perpetuum esse cupiunt, PHIL. I. 23. III. 20. 21. 11. COR. V. 8. Haud diutius his in terris commorari optant, sed mansionem pacatam, tutas sedes, stationesque quietas exorant IES. XXXII. 18. Nec ulterius ipsis denegat Christus perfectissimam, quae in securis almae pacis domiciliis eos expectat, felicitatem, votorum compotes eos reddit, et appropinquante morte, qua ex omnibus viuis acui miseris euolare, non excurrere videntur, laeta, blandaque voce illis acclamat: Δευτε οι εὐλογημένοι τῷ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, MATTH. XXV. 34. Tunc cum sponso ingrediuntur ad nuptias τῷ ἀμνῷ MATTH. XXV. 10. tunc euehuntur ad beatorum loca, vbi apud Christum plena gaudiorum adest copia, et cuius in dextra perennes sunt voluptates. PS. XVI. 11. Ibi in regno sui patris ὡς ὁ ἥλιος relucebunt iusti, MATTH. XIII. 43. qui prae malis obierunt, et in suis quiescunt cubiculis, IES. LVII. 1. 2. Ibi sempiterna perfusi laetitia, moerore et gemitu fugiente, voluptatem consequentur et gaudia. Ibi absterget Iesus ex omnium facie lacrimas, laetissimoque cum spiritu aeternas ipsius laudes commemorabunt coelites, qui in omnia profecto secula cum Christo vniti, nunquam ab eo iterum diuelli possunt. O beatissimam vitae eorum conditionem, quorum asylum est Immanuel!

ad 12.


* * *


end 12.

00 A 6450

12







B.I.G.

Farbkarte #13

8

בשש

עמנו אל מקדש

IMMANVEL ASYLVM

SIVE

BREVIS COMMENTATIO

IN IES. CAP. VIII. comma 14.

AD

VIRVM

CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM
ADOLPHVM Sebrecht Dietrich

DVBENENSEM,

THEOLOGIAE CANDIDATVM,

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

D. XXX. APRIL. CIO IOCCXLIII.

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

ORNATVM,

EX VOLVNTATE

COLLEGII ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ

SVB PRAESIDIO

D. IOHANNIS CHRISTIANI HEBENSTREIT
LINGVARVM ORIENT. P. P. O. ET THEOLOGIAE
EXTRAORDINARII
CONGREGATI

AVCTORE

M. IOHANNE CHRISTIANO Rühn
MARTISBVRGENSI.

LIP S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.